gentes q̃ fuerat voluit regi babilon. Volite audire vba ꝑphe dicentis vobis et cuncte regi babilonis qui habitatis in hac ciuitate hec dicit dñs. Egredimini de medio eius et unusquisq; animam suam liberet ne pereatis in iniquitate ei⁹ q̃ tempus vindicte dñi est ipse retribuet ei. Calicem aureum babylon inebrians omnem terram de vino eius gentes potauerunt ideo commote sunt gentes. Subito cecidit babylon et contrita est. Ululate super eam tollite resinam pro dolore eius si forte sanari possit. Curauimus babylonem et non est sanata derelinquamus eam et eamus unusquisq; in terram suam quia attigit vsq; ad celum iudicium eius et sublimis est usq; ad nubes. Eduxit dominus iustificationes nostras venite et narremus in sion opus dei nostri. Purgate sagittas implete pharetras suscitauit dominus spiritum regum medorum contra babylonem ut disperdat eam quia ultio dei est ultio templi eius. Super muros babylonis leuate signum confortate custodias preparate insidias parate viros ad sagittandum quia cogitauit dominus et fecit omnia que locutus est contra habitatores babylonis. Quia habitas super aquas multas abundans in thesauris tuis uenit finis tuus mensura auaritie tue. Iurauit dominus exercituum in anima sua quia implebo te hominibus quasi bruchis et cantabunt hymnum super te. Qui fecit terram in fortitudine sua parauit orbem in sapientia sua et prudentia sua extendit celos. Ad sonitum dedit aquarum multitudinem in celo et eleuare nubes ab extremis terre fecit fulgura in pluuiam et produxit uentum de thesauris suis. Stupidus factus est omnis homo a scientia sua confusus est omnis fusor in sculptili quia mendacium conflauit manus eius et non est spiritus in eis. Vana sunt opera risus errorum in tempore uisitationis sue peribunt. Non est ista similis eis qui formator omnium est ipse et sceptrum hereditatis eius dominus exercituum nomen eius. Contritor meus es tu et uasa bellica tua et conteram in te gentes et disperdam in te regna et conteram in te equum et ascensorem eius et conteram in te currum et ascensorem eius. Et conteram in te uirum et mulierem et conteram in te senem et puerum et conteram in te iuuenem et uirginem et conteram in te pastorem et gregem eius et conteram in te agricolam et iugum boum eius et conteram in te duces et principes. Reddam babylonem et omnes habitatores chaldee omnia mala sua que operati sunt in sion coram oculis uestris dicit dominus. Ecce ego ad te mons qui corrumpis uniuersam terram et extendam manum meam super te et detraham te de petris et dabo te montem combustum. Et non tollent de te lapidem ad angulum nec lapidem ad fundamenta sed solitudines sempiternas eris dicit dominus. Ululate in babylone et clamate super eam et date uocem uestram in dedit ei dextram suam ad tradendum. Quoniam ultio dei est ultionem accipite de ea quomodo fecit reddite ei duplicia secundum opera manuum eius. In calice in quo miscuit miscete duplum ei. Quantum glorificauit se et in deliciis fuit tantum date illi tormentum et luctum. Quia dicit in corde suo sedeo regina et uidua non sum luctum non uidebo. Propterea in una die ueniet mors et luctus et fames et succendetur igni quia fortis est dominus deus qui iudicauit eam. Et plangent eam reges terre qui cum ea fornicati sunt et in deliciis fuerunt uidentes fumum incendii eius. De longe stabunt propter timorem tormentorum eius dicentes. Ve ve ciuitas illa babylon ciuitas fortis quia una hora uenit iudicium tuum. Et negotiatores terre flebunt et lugebunt super eam quia merces eorum non est amplius. Merces auri et argenti et lapidis pretiosi et margaritarum et byssi et purpure et sirici et cocci et omne lignum thyinum et omne uas eboreum et omne uas de lapide pretioso et de ere et ferro et marmore et cinnamomum et odoramentum et unguentum et thus et uinum et oleum et similam et triticum et iumenta et oues et equorum et rhedarum et mancipia et animas hominum. Et poma desiderii animae tuae recesserunt a te et omnia pinguia et insignia perierunt a te et amplius non inuenies ea. Mercatores horum qui ditati sunt ab ea stabunt propter timorem tormentorum eius flentes et lugentes et dicentes. Ve ve ciuitas illa que amicta erat bysso et purpura et cocco et inaurata erat auro et lapide pretioso et margaritis quia in una hora destructe sunt tantae diuitiae. Et omnis gubernator et omnis qui in locis nauigat et nautae et quicumque in mari operantur longe steterunt et clamauerunt uidentes locum incendii eius dicentes. Quae similis fuit huic ciuitati magnae. Et miserunt puluerem super capita sua et clamauerunt flentes et lugentes et dicentes. Ve ve ciuitas illa in qua diuites facti sunt omnes qui habebant naues in mari de pretiis eius quia una hora desolata est. Exultate super eam caelum et sancti apostoli et prophetae quia iudicauit deus iudicium uestrum de illa. Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum et misit in mare dicens. Hoc impetu mittetur babylon ciuitas illa magna et ultra non inuenietur. Et uox citharoedorum et musicorum et tibicinum et tubae non audietur in te amplius et omnis artifex omnis artis non inuenietur in te amplius et sonus molae non audietur in te amplius et lumen lucernae non luceat in te amplius et uox sponsi et sponsae non audietur in te amplius quia mercatores tui erant principes terrae quia in ueneficiis tuis erratae sunt omnes gentes et sanguis prophetarum et sanctorum inuentus est in ea et omnium qui interfecti sunt in terra. Post haec audiui quasi uocem magnam turbarum in caelo dicentium. Alleluia. Salus et gloria et uirtus deo nostro quia uera et iusta iudicia eius quia iudicauit de meretrice magna quae corrupit terram in fornicatione sua et uindicauit sanguinem seruorum suorum de manu eius. Et iterum dixerunt. Alleluia. Et fumus eius ascendit in saecula saeculorum. Et ceciderunt uiginti quattuor seniores et quattuor animalia et adorauerunt deum sedentem super thronum dicentes. Amen alleluia. Et uox de throno exiuit dicens. Laudate deum nostrum omnes serui eius et qui timetis eum pusillus et magnus. Et audiui quasi uocem turbae magnae et quasi uocem aquarum multarum et quasi uocem tonitruorum ualentium dicentium. Alleluia quoniam regnauit dominus deus noster omnipotens. Gaudeamus et exultemus et demus gloriam ei quia uenerunt nuptiae agni et uxor eius praeparauit se et data est illi ut cooperiat se byssino splendenti candida. Byssinum enim iustificationes sanctorum sunt. Et dicit mihi. Scribe. Beati qui ad cenam nuptiarum agni uocati sunt. Et dicit mihi. Haec uerba dei uera sunt. Et procidi ante pedes eius ut adorarem eum. Et dicit mihi. Vide ne feceris conseruus tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium ihesu deum adora. Testimonium enim ihesu est spiritus prophetiae. Et uidi caelum apertum et ecce equus albus et qui sedebat super eum uocabatur fidelis et uerax et cum iustitia iudicat et pugnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis et in capite eius diademata multa habens nomen scriptum quod nemo nouit nisi ipse et uestitus erat ueste aspersa sanguine et uocatur nomen eius uerbum dei. Et exercitus qui sunt in caelo sequebantur eum in equis albis uestiti byssino albo et mundo. Et de ore eius procedit gladius ex utraque parte acutus ut in ipso percutiat gentes et ipse reget eas in uirga ferrea et ipse calcat torcular uini furoris et irae omnipotentis dei. Et habet in uestimento et in femore suo scriptum rex regum et dominus dominantium. Et uidi unum angelum stantem in sole et clamauit uoce magna dicens omnibus auibus quae uolabant per medium caelum. Venite et congregamini ad cenam magni dei ut manducetis carnes regum et carnes tribunorum et carnes fortium et carnes equorum et sedentium in eis et carnes omnium liberorum et seruorum et pusillorum et magnorum. Et uidi bestiam et reges terrae et exercitus eorum congregatos facere bellum cum sedente in equo et cum exercitu eius. Et apprehensa est bestia et cum ea pseudopropheta qui fecit signa coram ipso quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiae et qui adorauerunt imaginem eius. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. Et reliqui occisi sunt in gladio sedentis in equo qui procedit de ore eius et uolucres saturatae sunt carnibus eorum. Et uidi angelum descendentem de caelo habentem clauem abyssi et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum qui est diabolus et satanas et ligauit eum per annos mille et misit eum in abyssum et clusit et signauit super illum ut non seducat amplius gentes donec consummentur mille anni et post haec oportet illum solui modico tempore. Et uidi sedes et sederunt super eas et iudicium datum est illis et animas decollatorum propter testimonium ihesu et propter uerbum dei et qui non adorauerunt bestiam neque imaginem eius nec acceperunt characterem eius in manibus suis et uixerunt et regnauerunt cum christo mille annis. Reliqui autem mortuorum non uixerunt donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima. Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima in his secunda mors non habet potestatem sed erunt sacerdotes dei et christi et regnabunt cum eo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni soluetur satanas de carcere suo et exibit et seducet gentes quae sunt super quattuor angulos terrae gog et magog et congregabit eos in proelium quorum numerus est sicut harena maris. Et ascenderunt super latitudinem terrae et circumdederunt castra sanctorum et ciuitatem dilectam et descendit ignis a deo de caelo et deuorauit eos et diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis et sulphuris ubi et bestia et pseudopropheta et cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum. Et uidi thronum magnum candidum et sedentem super eum a cuius conspectu fugit terra et caelum et locus non inuentus est eis. Et uidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni et libri aperti sunt et alius liber apertus est qui est uitae et iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Et dedit mare mortuos qui in eo erant et mors et infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant et iudicatus est unusquisque secundum opera sua. Et mors et infernus missi sunt in stagnum ignis haec est mors secunda. Et qui non inuentus est in libro uitae scriptus missus est in stagnum ignis. Et uidi caelum nouum et terram nouam. Primum enim caelum et prima terra abierunt et mare iam non est amplius. Et ciuitatem sanctam hierusalem nouam uidi descendentem de caelo a deo parata sicut sponsam ornatam uiro suo. Et audiui uocem magnam de throno dicentem. Ecce tabernaculum dei cum hominibus et habitabit cum eis et ipsi populus eius erunt et ipse deus cum eis erit eorum deus. Et absterget deus omnem lacrimam ab oculis eorum et mors ultra non erit neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno. Ecce nouo omnia facio. Et dicit mihi. Scribe quia haec uerba fidelia sunt et uera. Et dixit mihi. Factum est. Ego sum alpha et omega principium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquae uitae gratis. Qui uicerit possidebit haec et ero illi deus et ipse erit mihi filius. Timidis autem et incredulis et execratis et homicidis et fornicatoribus et ueneficis et idolis et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure quod est mors secunda. Et uenit unus de septem angelis qui habebant septem fiales plenas septem plagis nouissimis et locutus est mecum dicens. Veni et ostendam tibi sponsam uxorem agni. Et abstulit me in spiritu in montem magnum et altum et ostendit mihi ciuitatem sanctam hierusalem descendentem de caelo a deo habentem claritatem dei et lumen eius simile lapidi pretioso tamquam lapidi iaspidis sicut crystallum. Et habebat muros magnos et altos habebat portas duodecim et in portis angelos duodecim et nomina inscripta quae sunt nomina duodecim tribuum filiorum israel. Ab oriente portae tres et ab aquilone portae tres et a meridie portae tres et ab occidente portae tres. Et murus ciuitatis habebat fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum agni. Et qui loquebatur mecum habebat mensuram harundinem auream ut metiretur ciuitatem et portas eius et murum eius. Et ciuitas in quadro posita est et longitudo eius tanta est quanta et latitudo. Et mensus est ciuitatem harundine per stadia duodecim milia. Et longitudo et altitudo et latitudo eius aequalia sunt. Et mensus est murum eius centum quadraginta quattuor cubitorum mensura hominis quae est angeli. Et structura muri eius lapidea et ciuitas aurum mundum simile uitro purissimo. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum iaspis secundum saphirus tertium calcedonius quartum smaragdus quintum sardonix sextum sardius septimum chrysolithus octauum beryllus nonum topazius decimum chrysoprasus undecimum hyacinthus duodecimum amethystus. Et duodecim portae duodecim margaritae per singulas et singulae portae erant ex singulis margaritis et platea ciuitatis aurum mundum tamquam uitrum perlucidum. Et templum non uidi in ea. Deus enim omnipotens templum illius est et agnus. Et ciuitas non eget sole neque luna ut luceant in ea. Nam claritas dei illuminauit eam et lucerna eius est agnus. Et ambulabunt gentes in lumine eius et reges terrae adducent gloriam suam et honorem in illam. Et portae eius non claudentur per diem nox enim non erit illic. Et adducent gloriam et honorem gentium in illam. Non introibit in eam aliquid coinquinatum et faciens abominationem et mendacium nisi qui scripti sunt in libro uitae agni. Et ostendit mihi fluuium aquae uitae splendidum tamquam crystallum procedentem de sede dei et agni. In medio plateae eius et ligni uitae ex utraque parte fluminis fructus duodecim afferens per menses singulos reddens fructum suum et folia ligni ad sanitatem gentium. Et omne maledictum non erit amplius sed thronus dei et agni in ea erit et seruientes illi uidebunt faciem eius et nomen eius in frontibus eorum. Et nox non erit amplius et non indigebunt lumine lucernae neque lumine solis quia dominus deus illuminabit illos et regnabunt in saecula saeculorum. Et dixit mihi. Haec sermones fidelissimi et uerissimi sunt et dominus deus spirituum prophetarum misit angelum suum ostendere seruis suis quae oportet fieri cito. Et ecce uenio cito. Beatus qui custodit uerba prophetiae libri huius. Et ego iohannes qui audiui et uidi haec. Et postquam audiui et uidi procidi ut adorarem ante pedes angeli qui haec mihi ostendebat. Et dicit mihi. Vide ne feceris conseruus tuus sum et fratrum tuorum prophetarum et eorum qui seruant uerba libri huius deum adora. Et dicit mihi. Ne signaueris uerba prophetiae libri huius tempus enim prope est. Qui nocet noceat adhuc et qui in sordibus est sordescat adhuc et qui iustus est iustificetur adhuc et sanctus sanctificetur adhuc. Ecce uenio cito et merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua. Ego sum alpha et omega primus et nouissimus principium et finis. Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni ut sit potestas eorum in ligno uitae et per portas intrent in ciuitatem. Foris canes et uenefici et impudici et homicidae et idolis seruientes et omnis qui amat et facit mendacium. Ego iesus misi angelum meum testificari uobis haec in ecclesiis. Ego sum radix et genus dauid stella splendida et matutina. Et spiritus et sponsa dicunt. Veni. Et qui audit dicat. Veni. Et qui sitit ueniat et qui uult accipiat aquam uitae gratis. Testificor enim omni audienti uerba prophetiae libri huius. Si quis apposuerit ad haec apponet deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de uerbis libri prophetiae huius auferet deus partem eius de libro uitae et de ciuitate sancta et de his quae scripta sunt in libro isto. Dicit qui testificatur haec. Etiam uenio cito. Amen. Veni domine iesu. Gratia domini nostri iesu christi cum omnibus uobis. Amen.

Explicit apocalipsis beati iohannis apostoli.

Incipit epistola beati pauli apostoli ad romanos.

Paulus seruus ihesu christi uocatus apostolus segregatus in euangelium dei quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo qui factus est ei ex semine dauid secundum carnem qui praedestinatus est filius dei in uirtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum ihesu christi domini nostri per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius in quibus estis et uos uocati ihesu christi omnibus qui sunt romae dilectis dei uocatis sanctis gratia uobis et pax a deo patre nostro et domino ihesu christo primum quidem gratias ago deo meo per ihesum christum pro omnibus uobis quia fides uestra adnuntiatur in uniuerso mundo. Testis enim mihi est deus cui seruio in spiritu meo in euangelio filii eius quod sine intermissione memoriam uestri faciam semper in orationibus meis obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in uoluntate ueniendi ad uos. Videre enim uos desidero ut aliquid impertiam uobis gratiae spiritalis ad confirmandos uos id autem est simul consolari in uobis per eam quae inuicem est fidem uestram atque meam. Non uolo autem uos ignorare fratres quia saepe proposui uenire ad uos et prohibitus sum usque adhuc ut aliquem fructum habeam et in uobis sicut et in ceteris gentibus. Graecis ac barbaris sapientibus et insipientibus debitor sum. Ita quod in me promptum est et uobis qui romae estis euangelizare non erubesco euangelium uirtus enim dei est in salutem omni credenti iudaeo primum et graeco. Iustitia enim dei in eo reuelatur ex fide in fidem sicut scriptum est. Iustus autem ex fide uiuit. Reuelatur enim ira dei de caelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum eorum qui ueritatem dei in iniustitia detinent. Quia quod notum est dei manifestum est in illis deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur sempiterna quoque eius uirtus et diuinitas ut sint inexcusabiles. Quia cum cognouissent deum non sicut deum glorificauerunt aut gratias egerunt sed euanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt et mutauerunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et uolucrum et quadrupedum et serpentium. Propter quod tradidit illos deus in desideria cordis eorum in immunditiam ut contumelias faciant corporibus suis in semetipsis qui commutauerunt ueritatem dei in mendacium et coluerunt et seruierunt creaturae potius quam creatori qui est benedictus in saecula amen. Propterea tradidit illos deus in passiones ignominiae nam feminae eorum immutauerunt naturalem usum in eum usum qui contra naturam est. Similiter autem et masculi relicto naturali usu feminae exarserunt in desideriis suis in inuicem masculi in masculos turpitudinem operantes et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probauerunt deum habere in notitia tradidit illos deus in reprobum sensum ut faciant ea quae non conueniunt repletos omni iniquitate malitia fornicatione auaritia nequitia plenos inuidia homicidio contentione dolo malignitate susurrones detractores deo odibiles contumeliosos superbos elatos inuentores malorum parentibus non obedientes insipientes incompositos sine affectione sine foedere sine misericordia quorum cum iustitiam dei cognouissent non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte non solum qui ea faciunt sed etiam qui consentiunt facientibus. Propterea inexcusabilis es o homo omnis qui iudicas in quo enim iudicas alterum teipsum condemnas eadem enim agis quae iudicas. Scimus autem quoniam iudicium dei est secundum ueritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc o homo qui iudicas eos qui talia agunt et facis ea quia tu effugies iudicium dei. An diuitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis ignoras quod benignitas dei ad paenitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam et cor impaenitens thesaurizas tibi iram in die irae et reuelationis iusti iudicii dei qui reddet unicuique secundum opera sua. His quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt uitam aeternam. His autem qui sunt contentiosi et qui ueritati non acquiescunt acquiescunt autem iniquitati ira et indignatio tribulatio et angustia in animam omnis hominis operantis malum iudaei primum et graeci. Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum iudaeo primum et graeco. Non est enim personarum acceptio apud deum. Quicumque enim sine lege peccauerunt sine lege peribunt et quicumque in lege peccauerunt per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud deum sed factores legis iustificabuntur. Cum enim gentes quae legem non habent naturaliter quae legis sunt faciunt eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum et inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus in die cum iudicabit deus occulta hominum secundum euangelium meum per ihesum christum. Si autem tu iudaeus cognominaris et requiescis in lege et gloriaris in deo et nosti uoluntatem eius et probas utiliora instructus per legem confidis teipsum esse ducem caecorum lumen eorum qui in tenebris sunt eruditorem insipientium magistrum infantium habentem formam scientiae et ueritatis in lege. Qui ergo alium docens teipsum non docens qui praedicas non furandum furaris qui dicis non moechandum moecharis qui abominaris idola sacrilegium facis. Qui in lege gloriaris per praeuaricationem legis deum inhonoras. Nomen enim dei per uos blasphematur inter gentes sicut scriptum est. Circumcisio quidem prodest si legem custodias nam si praeuaricator legis es circumcisio tua praeputium facta est. Si ergo praeputium legem seruet nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur et iudicabit id quod ex natura est praeputium legem consummans te qui per litteram et circumcisionem praeuaricator legis es. Non enim qui in manifesto iudaeus est neque quae in manifesto in carne est circumcisio sed qui in abscondito iudaeus est et circumcisio cordis in spiritu non littera cuius laus non ex hominibus sed ex deo est. Quid ergo amplius iudaeo est aut quae utilitas circumcisionis multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia dei. Quid enim si quidam illorum non crediderunt numquid incredulitas illorum fidem dei euacuabit. Absit. Est autem deus uerax omnis autem homo mendax sicut scriptum est. Vt iustificeris in sermonibus tuis et uincas cum iudicaris. Si autem iniquitas nostra iustitiam dei commendat quid dicemus numquid iniquus deus qui infert iram secundum hominem dico. Absit. Alioquin quomodo iudicabit deus hunc mundum. Si enim ueritas dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius quid adhuc et ego tamquam peccator iudicor. Et non sicut blasphemamur et sicut aiunt quidam nos dicere faciamus mala ut ueniant bona quorum damnatio iusta est. Quid ergo praecellimus eos nequaquam. Causati enim sumus iudaeos et graecos omnes sub peccato esse sicut scriptum est. Quia non est iustus quisquam non est intellegens non est requirens deum. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt non est qui faciat bonum non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum linguis suis dolose agebant uenenum aspidum sub labiis eorum quorum os maledictione et amaritudine plenum est. Velocia pedes eorum ad effundendum sanguinem contritio et infelicitas in uiis eorum et uiam pacis non cognouerunt non est timor dei ante oculos eorum. Scimus autem quoniam quaecumque lex loquitur his qui in lege sunt loquitur ut omne os obstruatur et subditus fiat omnis mundus deo quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia dei manifestata est testificata a lege et prophetis iustitia autem dei per fidem ihesu christi in omnes et super omnes qui credunt in eum non enim est distinctio omnes enim peccauerunt et egent gloria dei iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quae est in christo ihesu quem proposuit deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum in sustentatione dei ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore ut sit ipse iustus et iustificans eum qui est ex fide ihesu christi. Vbi est ergo gloriatio tua exclusa est. Per quam legem factorum non sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. An iudaeorum deus tantum nonne et gentium etiam gentium quoniam quidem unus deus qui iustificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem absit sed legem statuimus. Quid ergo dicemus inuenisse abraham patrem nostrum secundum carnem. Si enim abraham ex operibus iustificatus est habet gloriam sed non apud deum. Quid enim scriptura dicit credidit abraham deo et reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam sed secundum debitum. Ei autem qui non operatur credenti autem in eum qui iustificat impium reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositionem beatitudinis hominis cui deus accepto fert iustitiam sine operibus. Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputauit dominus peccatum. Beatitudo ergo haec in circumcisione an et in praeputio. Dicimus enim fidem abrahae reputatam ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est in circumcisione an in praeputio non in circumcisione sed in praeputio. Et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiae fidei quae est in praeputio ut sit pater omnium credentium per praeputium ut reputetur illis et ipsis ad iustitiam et pater circumcisionis non his tantum qui sunt ex circumcisione sed et his qui sectantur uestigia fidei quae est in praeputio patris nostri abrahae. Non enim per legem promissio abrahae aut semini eius ut haeres esset mundi sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege haeredes sunt exinanita est fides abolita est promissio. Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex nec praeuaricatio. Propterea ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini non ei qui ex lege est tantum sed et ei qui ex fide est abrahae qui est pater omnium nostrum sicut scriptum est quia patrem multarum gentium posui te ante deum cui credidit deum qui uiuificat mortuos et uocat ea quae non sunt tamquam sint. Qui contra spem in spem credidit ut fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est sic erit semen tuum. Et non infirmatus est fide nec consideravit corpus suum emortuum cum iam centenarius esset et uetustam uulvam sarae. In repromissione quoque dei non haesitauit diffidentia sed confortatus est fide dans gloriam deo plenissime sciens quia quaecumque promisit deus potens est et facere. Propter quod et reputatum est illi ad iustitiam. Non scripta sunt autem propter illum tantum quia reputatum est illi ad iustitiam sed et propter nos quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitauit ihesum dominum nostrum a mortuis qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram. Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad deum per dominum nostrum ihesum christum per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus et gloriamur in spe gloriae filiorum dei. Non solum autem sed et gloriamur in tribulationibus scientes quod tribulatio patientiam operatur patientia autem probationem probatio autem spem spes autem non confundit quia caritas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Ut quid enim christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est. Vix enim pro iusto quis moritur nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem caritatem suam deus in nobis quoniam cum adhuc peccatores essemus christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius saluabimur ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus deo per mortem filii eius multo magis reconciliati saluabimur in uita ipsius. Non solum autem sed et gloriantes in deo per dominum nostrum ihesum christum per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit et per peccatum mors et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccauerunt. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo peccatum autem non imputabatur cum lex non esset. Sed regnauit mors ab adam usque ad moysen etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem praeuaricationis adae qui est forma futuri. Sed non sicut delictum ita et donum si enim unius delicto multi mortui sunt multo magis gratia dei et donum in gratia unius hominis ihesu christi in plures abundauit. Et non sicut per unum peccatum ita et donum. Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim unius delicto mors regnauit per unum multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes in uita regnabunt per unum ihesum christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem ita et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ita et per unius obedientiam iusti constituentur multi. Lex autem subintrauit ut abundaret delictum ubi autem abundauit delictum superabundauit gratia ut sicut regnauit peccatum in mortem ita et gratia regnet per iustitiam in uitam aeternam per ihesum christum dominum nostrum. Quid ergo dicemus permanebimus in peccato ut gratia abundet absit. Qui enim mortui sumus peccato quomodo adhuc uiuemus in illo. An ignoratis fratres scientibus enim legem loquor quia lex in homine dominatur quamdiu uiuit. Nescitis quia quicumque baptizati sumus in christo ihesu in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus illi per baptismum in mortem ut quomodo surrexit christus a mortuis per gloriam patris ita et nos in nouitate uitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius simul et resurrectionis erimus scientes hoc quod uetus homo noster simul crucifixus est ut destruatur corpus peccati ut ultra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est iustificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum christo credimus quia simul etiam uiuemus christo. Scientes quod christus resurgens ex mortuis iam non moritur mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato mortuus est semel quod autem uiuit uiuit deo. Ita et uos existimate uos mortuos quidem esse peccato uiuentes autem deo in christo ihesu. Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore ad oboediendum desideriis eius. Neque exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato sed exhibete uos deo tamquam ex mortuis uiuentes et membra uestra arma iustitiae deo. Peccatum enim uobis non dominabitur non enim estis sub lege sed sub gratia. Quid ergo peccabimus quoniam non sumus sub lege sed sub gratia absit. Nescitis cui exhibetis uos seruos ad oboediendum eius seruos estis cui oboedistis aut peccati in mortem aut oboedientiae in iustitiam. Gratias autem deo quoniam fuistis serui peccati oboedistis autem ex corde in eam formam doctrinae in quam traditi estis. Liberati autem a peccato serui facti estis iustitiae. Humanum dico propter infirmitatem carnis uestrae. Sicut enim exhibuistis membra uestra seruire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiae in sanctificationem. Cum enim serui essetis peccati liberi fuistis iustitiae. Quem ergo fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis nam finis illorum mors est. Nunc autem liberati a peccato serui autem facti deo habetis fructum uestrum in sanctificationem finem uero uitam aeternam. Stipendia enim peccati mors gratia autem dei uita aeterna in christo ihesu domino nostro. An ignoratis fratres scientibus enim legem dicimus quia lex in homine dominatur quamdiu uiuit. Mulier enim sub uiro uiuenti alligata est legi. Quod si mortuus fuerit uir eius soluta est a lege uiri. Igitur uiuente uiro uocabitur adultera si fuerit cum alio uiro. Quod si mortuus fuerit uir eius liberata est a lege uiri ut non sit adultera si fuerit cum alio uiro. Itaque fratres mei et uos mortificati estis legi per corpus christi ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit ut fructificemus deo. Cum enim essemus in carne passiones peccatorum quae per legem erant operabantur in membris nostris ad fructificandum morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur ita ut seruiamus in nouitate spiritus et non in uetustate litterae. Quid ergo dicemus lex peccatum est absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem. Nam et concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem uiuebam sine lege aliquando. Sed cum uenisset mandatum peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum et inuentum est mihi mandatum quod erat ad uitam hoc esse ad mortem. Peccatum enim occasione accepta per mandatum seduxit me et per illud occidit. Itaque lex quidem sancta et mandatum sanctum et iustum et bonum. Quod ergo bonum est mihi factum est mors absit. Sed peccatum ut appareat peccatum per bonum mihi operatum est mortem ut fiat supra modum peccator per mandatum peccatum. Scimus enim quia lex spiritalis est ego autem carnalis sum uenumdatus sub peccato. Quod enim operor non intellego non enim quod uolo bonum hoc ago sed quod odi malum illud facio. Si autem quod nolo illud facio consentio legi quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud sed quae habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me hoc est in carne mea bonum. Nam uelle adiacet mihi non autem perficere bonum. Non enim quod uolo bonum hoc ago sed malum quod nolo illud facio. Si autem quod nolo illud facio iam non ego operor illud sed quae habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem uolenti mihi facere bonum quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captiuantem me in lege peccati quae est in membris meis. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius. Gratia dei per ihesum christum dominum nostrum. Igitur ego ipse mente seruio legi dei carne autem legi peccati. Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in christo ihesu qui non secundum carnem ambulant sed secundum spiritum. Lex enim spiritus uitae in christo ihesu liberauit me a lege peccati et mortis. Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati et de peccato damnauit peccatum in carne ut iustificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt quae carnis sunt sapiunt qui autem secundum spiritum sunt quae spiritus sunt sapiunt. Nam prudentia carnis mors est prudentia autem spiritus uita et pax. Quoniam prudentia carnis inimica est in deum legi enim dei non est subiecta nec enim potest. Qui autem in carne sunt deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne sed in spiritu si tamen spiritus dei habitat in uobis. Si quis autem spiritum christi non habet hic non est eius. Si autem christus in uobis corpus quidem mortuum est propter peccatum spiritus autem uita propter iustificationem. Quod si spiritus eius qui suscitauit ihesum a mortuis habitat in uobis qui suscitauit ihesum christum a mortuis uiuificabit et mortalia corpora uestra propter inhabitantem spiritum eius in uobis. Itaque fratres debitores sumus non carni ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis moriemini si autem spiritu facta carnis mortificaueritis uiuetis. Quicumque enim spiritu dei aguntur hi filii dei sunt. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore sed accepistis spiritum adoptionis filiorum dei in quo clamamus abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii dei. Si autem filii et haeredes haeredes quidem dei coheredes autem christi si tamen compatimur ut et conglorificemur. Existimo enim quod non condignae sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam quae reuelabitur in nobis. Nam exspectatio creaturae reuelationem filiorum dei exspectat. Vanitati enim creatura subiecta est non uolens sed propter eum qui subiecit eam in spe quia et ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Non solum autem illa sed et nos primitias spiritus habentes et ipsi intra nosmetipsos ingemiscimus adoptionem filiorum dei exspectantes redemptionem corporis nostri. Spe enim salui facti sumus. Spes autem quae uidetur non est spes. Nam quod uidet quis quid sperat. Quod autem non uidemus per patientiam exspectamus. Similiter autem et spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda scit quid desideret spiritus quia secundum deum postulat pro sanctis. Scimus autem quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum uocati sunt sanctis. Quos enim praescit et praedestinauit conformes fieri imaginis filii eius ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinauit hos et uocauit et quos uocauit hos et iustificauit quos autem iustificauit illos et glorificauit. Qu